

# DE HUMANIS LITTERIS

## DE HORATI UITA AC MORIBUS

Horatius, lyricorum longe princeps, uir non inlustri nec nobili genere, sed admodum humili ortus, cum teste Suetonio pater esset libertino et exactionum coactore, et ut uere creditum est salsamentario, ut apparet ex eo quod in altercatione quidam forte cachinnans exprobrasset: "Quoties ego uidi patrem tuum brachio se emungentem!" natus est Uenusio Appuliae oppido, VI Idus Decembris L. Cotta et L. Torquato consulibus, duobus, ut pro comperto habetur, circiter annis ante coniurationem Catilinae. Quo tempore floruisse constat, asserit Uellecius Paterculus, diremptos gradibus aetatis Ciceronem, Hortensium, antequam Crassum. Cottam, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Caelium, Caluum et proximum Ciceroni Caesarem eorumque uelut alumnos Coruinum et Polionem Assinium, aemulumque Thucydidis Sallustium, auctoresque carminum Uarronem ac Lucretium neque ullo in susceptu carminis sui opere minorem Catullum. Paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio, inter quae maximi nostri aevi eminent princeps carminum Uergilius Rabiriusque et consecutus Sallustium Liuius Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis sui; nam diuorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est.

Fertur, nescio qua de causa, cum parente in Sabinos transmigrasse, quem, ait ignotus historicus, cum pater puerum Romam misisset in ludum litterarium, paucissimis eruditus impensis, angustias patris uicit ingenio; Orbilium Ueneuentanum a puero audiuisse, quem appellauit alicubi plagosum, ac bonis litteris breui tempore profecisse, ut erat ingenio facili et audissimo ad optimas disciplinas capiendas, si auctoritatem sequimur Petri Criniti Florentini. Coluit adulescens Brutum imperatorem, a quo excitus bello Philippensi tribunus militum illa acri pugna militauit, e qua inglorius euasit, nam scutum fugiens campo relinquit, ut ipse absque uerecundia ad Pompeium sodalem suum his carminibus confitetur:

*Tecum Philippos et celerem fugam  
Sensi relictam non bene parmula,  
Cum fracta uirtus et menaces  
Turpe solum tetigere mento.*

*Sed me per hostes Mercurius celer  
Denso pauentem sustulit aere,  
Te rursus in bellum resorbens  
Unda fretis tulit aestuosus.*

Uir magis erat otio litterarum adsuetus quam bellicae Martis disciplinae.

Athenas translatus, cum iam facere uersus incepisset, litterarum studiis ac philosophorum Epicureorum placitis operam nauauit, ut his carminibus loquitur:

*Me pinguem, et nitidum bene curata cute reuises,  
Cum ridere uoles Epicuri de grege porcum.*

Erat adhuc Athenae celeberrima urbium Atticae pro ingeniorum nitore et totius antiquitatis memoranda gloria; una urbs Attica pluribus omnis eloquentiae quam uniuersa Graecia operibus usque floruit adeo ut corpora gentis illius separata sint, in alias ciuitates, ingenia, uero, ait Paterculus, solis Atheniensium muris clausa existimes.

Cum tandem e Graecia redditus in Romam carmina facere inciperet, inter Romanae ciuitatis primores principatum exercuit, ut omnium uoluntates admirationemque sibi facile captaret, ac mox multos numerauit amicos, inter quos habuit ex poetis Albium Tibullum, Quintilium Uarum, cuius obitum officiose deplorauit; Ualgium consularem, Uergiliumque ipsum, quem appellauit "*animae dimidium meae*"; ex prima nobilitate Iulium Florum, Maximum Lollium, et primum omnium propter ualiditatem gratiamque apud Caesarem Maecenatem, ac maxime Augustum principem, cui insinuatus, ut dicit Suetonius, non mediocre in amborum amicitia locum tenuit. De illius amicitia pluribus locis loquitur Horatius, praesertim his uersibus:

*Septimus octauo propior iam fuggerit annus,  
Ex quo Maecenas me cepit habere suorum  
In numero.*

Ac suam in eum gratiam dilectionemque Maecenas hoc testauit epigrammate, addit Suetonius:

*Ni te uisceribus meis, Horati,  
Plus iam diligo, tu tuum sodalem  
Ninnio uideas strigiosiore.*

Fauorem Augusti facile adsequutus, epistularum officium suscepit, ut ex notitia ipsius Suetonii agnouimus scriptum Augusti ad Maecenatem memorantis: "Ante ipse sufficebam scribendi epistulis amicorum, nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum a te cupio abducere. Ueniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in epistulis scribendis iuuabit". Quam Augusti magnam erga Horatium dilectionem ex his quae sequuntur testatur uerbis: "Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire; nam incidit ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque enim si tu superbus amicitiam nostram spreuisti, ideo nos quoque *ἀνθυπρηφανούμεν*". Quod certum erat dilectionis signum. Cum quo Horatio et iocari assueuerat Augustus, cum eum inter alios iocos, "purissimum penem", et "homuncionem lepidissimum" appellaret, "unaque et altera liberalitate locupletauit", ut erat ille princeps liberalissimus, quod iam ex rebus gestis D. Augusti constat hisce uerbis: "Quae mea congiaria peruenerunt ad hominum millia nunquam minus quinquaginta et ducenta". Inter quos donatarios, mihi uidetur, et ipsum Horatium adnumerare licet cuiquam.

Quali admiratione prosequutus esset Augustus poctam ex eo apparet quod, dicente Suetonio, "scripta quidem eius usque adeo probauit mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo Saeculare Carmen componendum iniunxit sed et Uindelicam uictoriam hoc tribus Carminum libris ex longo interuallo quartum addere; post sermones uero quosdam lectos nullam sui mentionem habitam ita sit qucstus: 'Trasci me tibi scito, quod non in plerisque eius modi scriptis mecum potissimum loquaris; an ueris ne apud posteros infame tibi sit, quod uidearis familiaris nobis esse?' Expressitque eclogam ad se, cuius initium est:

*Cum tot sustineas et tanta negotia solus,  
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,  
Legibus emendes: in publica commoda peccem,  
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar",*

ut ex Epistula I, Lib. II, apparet.

Ille poeta immortalis factus non solum opinione Augusti, nec pro Carmine Saeculari, ac quattuor lyricorum carminum libris, ac Epodis, et Satyris, aut libro De Poetica ad Pisones, sed communi omnium assensu, maximam laudem meruit, nam de eo Fabius Quinctilianus, peritissimus iudex, scripsit: "Inter lyricos uero solus fere dignus est legi Horatius: quoniam et insurgit aliquando, et plenus est iucunditatis et gratiae, uariisque uerbis et figuris felicissime audax". Ex quo factum est ut uere dictum esset:

*Hic inter lyricos sublimi uertice uates  
Sydera summa ferit, seu dulcia furta puellae  
Cantat amicitias, conuiuia, praelia, paces:  
Sive Lycambeis lacerat latratibus hostem,  
Impetit aut uario corruptos carmine mores.*

Nec minus diserte ac florenter Apollinaris ad Tonantium de Horatio:

*Sed tu per Calabri tramitis aggerem  
Uis ut nostra dehinc cursitet orbita,  
Qua Flaccus Lyricos Pindaricum ad melos  
Frenis flexit equos plectri potentibus,  
Dum metro quatitur corda Gliconio,  
Nec non Alchaico  
Iuncto et Lesbiaco, siue Anapestico  
Uernans per uarii carminis eclogas  
Uerborum uiolis multicoloribus.*

Satyrarum quoque inter Romanos huius generis poesis auctor fuit Horatius, qui uitia ridens reprehendit facete, in quo et admirationem sibi captauit sequentium Satyrarum scriptorum, teste Persio dicente:

*Omne uaser uitium ridenti Flaccus amico  
Tangit, et admissus circum praecordia ludit:  
Callidus excusso populum suspendere naso.*

Atque Ouidius, egregius poeta, carminibus delectabatur Horati, ita lauream prosequens poetae:

*Et tendit ad nostros numerosos Horatius aureis,  
Cum ferit Ausonia carmina culta lyra.*

Studiosus amicitiae permultos coluit amicos, quos inter enumerare licet Plo-  
cium, Maecenatem, Uarium, Uergilium, Fuscum, Uiscos, Ualgium, Pollionem,  
Messalam Coruinum, aliosque sibi dilectionem affectumue cordis offerentes.

Fuisse fertur, si Suetonium sequimur, habitu corporis breui atque obeso,  
itemque oculis lippis, ac praecano, quod ex uariis locis suorum carminum colligi-  
tur. Illa breuis statura atque obesitas, "in saturis describitur, insequitur Suetonius,  
et ab Augusto hac epistula: "Pertulit ad me Onysius libellum tuum, quem ego ut  
excusantem, quantuluscumque est, boni consulo. Uereri autem mihi uideris ne  
maiores libelli tui sint, quam ipse es; sed tibi statura deest, corpusculum non deest.  
Itaque licebit in sextariolo scribas, ut circuitus uoluminis tui sit *ογκωδέστατος*  
sicut est uentriculi tui".

At si paruus corpore, quam magnus carminibus, quam mente pellucidus, ex-  
cusata hiperbole, per omnia ingenio diis quam hominibus propiorem! Quem uirum  
non irrestrictam laudem tulimus, cum caetera mirabilem fuisset, quia tam uilem  
habuit uitam, tam ad lasciuiam pronus fuit ut nec modum norat, nec terminum  
capiebat, si licet hoc coniectare ex eo quod, probante Suetonio, ad res ueneas  
intemperantior traditur, tali modo ut quae sequuntur huius historici minime possint  
hic referre nisi forsan tenebris lustrorum.

Mortuus est Horatius V. Kal. Decembris C. Marcio Censorino et C. Asinio  
Gallo consulibus, anno aetatis suae septimo et quinquagesimo, et heredem nun-  
cupauit palam Augustum, cuius et gloriam carminibus immortalibus fecit insignem  
mansuramque omni aeuo.

Ista aetas, uti iam diximus, Augustos, Maecenas, Ualgios, Uarios, Messalas,  
aliosque viros tulit quorum praestantiam, cum armis, tum rerum gerendarum glo-  
ria, cum litteris, tum aliis disciplinis, ita famam eis peperit magnam, ut nulla aeta-  
te alii maiores illis facile inueniri posse arbitreris. Uidetis, ergo, qua amplissima  
gloria inter primates Romae Horatius noster potiretur, cum omnes illos conmi-  
liones, familiaresque suos haberet uates insignis.

Talem uirum, quibusdam suis carminibus, prae oculis legentium, si qui sint,  
conabor adducere, et quamvis uiri magnitudo multorum instar uoluminum exigit,  
ut loquar Paterculo, operis modus ad beneuolentiam lectorum captandam, paucis  
ea narrari iubet. Sed melius iuuat, existimo, poetam de se dicentem audire:

*Romae nutrirī mihi contigit, atque doceri,  
Iratu Graiis quantum nocuisset Achilles.  
Adiacere bonae paulo plus artis Athenae:  
Scilicet ut possem curuo dignoscere uerum.  
Dura sed emouere loco me tempora grato,  
Ciuilisque rudem belli tulit aestus in arma,  
Caesaris Augusti non responsura lacertis.*

(Epiet. II, Lib. II, 41-47).

At quamuis adfuit Philippi pugna, scimus iam quo modo praeliaret, ita ut ne  
illi fas esset haec carmina de se ipso dicere:

*Tibur Argeo positum colono  
Sit meae sedes utinam senectae:  
Sit modus lasso maris, et uiarum,  
Militiaeque,*

nam hic modus uiuendi uiris strenuis ac claris in pugnis bellisque, non ignauis  
debet.

Prosequitur poeta, Epist. Ad Iulium Florum, II, Lib. II, de sua uita post pugnam Philippi ac de suis primis uersibus dicens cum chelyn incepit attricare:

Unde simul primum me dimisere Philippi,  
Decisis humilem pennis, inopemque paterni  
Et Laris et fundi, paupertas impulit audax,  
Ut uersus facerem: sed, quod non desit, habentem  
Quae poterunt unquam satis expurgare cicutaec,  
Ni melius dormire putem, quam scribere uersus?  
Singula de nobis anni praedantur euntes:  
Eripuere iocos, uenerem, conuiuia, ludum;  
Tendant extorquere poemata; quid faciam uis?

Hic recordans poeta priorum iuuentutis annorum tempus, in memoriam reuocat maeste ut uersibus illis Odes XIV, Lib. II, 1-12.

Eheu fugaces, Postume, Postume,  
Labuntur anni, nec pietas moram  
Rugis et instanti senectae  
Afferet indomitaeque morti;

Non si trecentis, quotquot eunt dies,  
Amice, places illacrimabilem  
Plutona tauris, qui ter amplum  
Geryonem Tityonque tristi.

Compescit unda, scilicet omnibus,  
Quicumque terrae munere uescimur,  
Enauiganda, siue reges  
Siue inopes erimus coloni,

quod transit tempus uia aeternitatis, et ut ait uers. 63, De arte poetica, sequentibusque:

Debemur morti nos nostraque: siue receptus  
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,  
Regis opus, sterillius diu palus aptaque remis  
Uicinas urbes alit et graue sentit aratrum,  
Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis,  
Doctus iter melius, mortalis facta peribunt,  
Nedum sermonum stet honos et gratia uiuax.

Hoc est quod Ouid. Lib. 3 De Arte Amandi, quoque ait: Utendum est aetate, cito pede labitur aetas.

IULIANUS MQTTA SALAS

(Ex opere suo inedito, cui titulus: IN QUINTI HORATI FLACCI QUAE DAM  
CARMINA COMMENTARII).